

docendo, consultando, propugnando Ecclesiae profuturi. Nec ad nostros minus spectabat Patronos, quod *Philippus Melanchthon* anno 1526. acclamaverat Norimbergensibus. Jussus enim solenni Praefatione novum velut consecrare Gymnasium, tria congererat in praestantiae argumentum, augurari se, fore, *ut duraret Religio, vigerent bonae leges, ac liberi sensim succrescentes ad omnem Virtutis curam instituerentur.* Vidimus per DEI gratiam jucundissimo hoc trifolio celebrari Civitatem nostram. Resonat in Templis Evangelii doctrina: Leges nec turbis nec rebellionibus ab eo tempore laboraverunt unquam: Vos etiam Patroni & Amici, qui Patriam hactenus benemerendo obstrinxistis, quantum eruditae huic Sedi debeatis, quantum Vestri aliquando sint debitori, deprædicatione non obscurâ sæpe fuistis confessi. Neq; tamen, in publicâ hac felicitatis memoria, quisquam adeo fuerit Horologii Politici ignarus, ut nesciat, quibus rotis & machinis ea res ordinata successerit. DEUS est, qui Provinciam hanc respexit, qui Sapientiae Spiritum concessit Proceribus, qui Consiliis cum laude susceptis fructum largitus est, & eventum. Ab hoc impetratum fuit, quicquid prosperitatis in seculari hac recordatione celebrari potest: Ad hunc referatur, quicquid laudum & gratulationum in splendidâ hac Panegyri junctim effundi debet. Et vero qui nonus ego sum à condito Gymna-  
sio